

22

DISSERTATIO  
JURIDICA  
DE  
JURISDICTIONE,  
FORO COMPETENTI,  
JUDICIIS, ET OFFICIO JUDICIS.  
AUSPICE DEO, ET B. VIRGINE  
PATROCINANTE

SUB PRÆSIDIO

*Prænobilis, Clarissimi Consultissimique  
DOMINI,*

D. JOANNIS GODEFRIDI  
SCHWEICKART,

Juris Utriusque Doctoris, in Alma Univer-  
sitate Electorali Moguntina Professoris;

*Publica discussioni exposita*

à CASPARO WILHELMO JOSEPHO GÖDDEN  
Werlensi Westphalo Jurium Candidato.

*In Collegio Schenckenbergico.*

Moguntia Anno 1727. Mense Septemb. die      horis consuetis.

Moguntia, Ex Typographejo Elect. Aulico-Academ. Per Joan. Georgium Häffner.

HONORI  
EXCELLENTISSIMI  
ET ILLUSTRISSIMI  
DOMINI,

**D. FERDINANDI,**

S. R. I. Comitis de Plettenberg, Wittem  
& Eys, Dynastæ in Nortkirchen, Domini in

Capellen, Davensberg, Allrott,

Sacrae Cæsareæ & Catholicæ Majestatis,  
nec non Eminentissimi & Serenissimorum Electorum

Colonienfis & Bivarie,

**CONSILIARII INTIMI,**

Et respectivè Supremi Camerae

**PRÆFECTI,**

Episcopatus Monasteriensis

**MARESCHALLI HÆREDITARII,**

ET

PADERBORNENSIS SUPREMI SATRAPÆ,

Ordinis Equestris S. Michaëlis

**COMMENDATORIS &c. &c.**

**DOMINI ET PATRONI SUI**

**GRATIOSISSIMI**

DEMISSISSIME INSCRIPTA.

EXCELLENTISSIME,  
ET  
ILLUSTRISSE  
DOMINE, DOMINE  
GRATIOSISSIME.

**D**E iudiciorum materie pervulgata quidem at non minus utili, in confesso publico dissertationem exorsurus, dum imbecilli meo de iudiciis statuendi iudicio Atlantem circumspicio, qui hoc studii mei iudicis monumentum auctoritate sua stabiliat, dignitate condecorat, gratiâ protegat, & robore sustineat, Fortiorem & Illustriorem Atlantem, qui hanc clienti opem adferat, cumulatius non comperio, quàm Te Excellentissime & Illustrissime Domine Comes; cujus indefessis dudum humeris tot ponderosa provinciarum gubernacula felici distinctione imposita, gloriosissime sustententur, Atlantem non minus gratiosum & singularem in clientibus Tua succollendis Gratia Generositatem in Te annis ab hinc duobus expertus sum, cum à Serenissimo Electore Colonienfi Domino meo Clementissimo, Tua Patrocinate Gratiâ Iudicis officio admotus essem.


Cepiz

Capit & exinde hoc mihi debitum incumbere, quod & primo quovis tempore, summoque studio solvendum esset; cui ut à me debitore Tuo satisfaceret, jussit quidem, quæ in me meosque à Te profluxit Gratia, at perspecta mihi in solvendo retraxit imbecillitas, ne tamen Gratia facta immemorem Tua me arguat Excellentia, me quoddam solutionis debita facturum sperem initium, dum dissertationem hanc Honori Tuo consecratam volo, humillima, dum vixero, additurus obsequia, siquidem & illis Gratia accepta Magnitudo compensari valeat.

Quod si Judiciorum inventio eò collimet, ne quis in obmotis movendisve rerum & causarum controversis, auctoritate sibi propria jus statuatur, sed implorando Judicis Competentis Auctoritatem, ejus sententiæ acquiescat, Judicii Tui sapientiæ & equitati discutiendum demissimè defero, an hi sint studii mei juridici biennales fructus, ut gratiæ jam concessæ nonnihil respondeant, & manu Gratiôsa admissi favores ulteriores concilient, in quo controversiæ genere, ubi Judicem te faventem nactus fuero, Patronum mihi Gratiôssimum humillimis semper obsequiis, eâ quæ par est Reverentia devenerari allaborabo

EXCELLENTIÆ TUÆ  
ILLUSTRISSIMÆ, DOMINI, D.  
MEI GRATIOSISSIMI

Servus infimus ac Clientis devotissimus  
Casparus Wilhelmus Josephus  
Gödden.



# PRÆFATIO.



urisdictio nulla sine foro, ubi forum ibi  
 Judicium, nullum Judicium sine Judice: Unde  
 dissertatio præsens juridica & judiciaria quatuor  
 hosce ex- & per se connexos collegit titulos;  
 primum ex codice *lib. 3. tit. 13.* alterum ex de-  
 cretalibus *lib. 2. tit. 2.* tertium ex digestis *lib. 5.*  
*tit. 1.* quartum ex institutionibus *lib. 4. tit. 17.* & quamvis selecta  
 isthæc materia practica sit & quotidiana, & ideo attestantibus fu-  
 sissimis eorum, qui iis de rebus separatim & peculiariter scripsere,  
 Authorum & Jurisconsultorum voluminibus & libris, paucis hisce  
 pagellis se circumscribi non patiat, ipsa tamen laudatissima si-  
 mul & utilissima praxis, cui D. defendens se devotum paulo post  
 emancipabit totum, patietur Theoremata quædam de Jurisdictio-  
 ne, foro competenti, Judicis, & officio Judicis tanquam funda-  
 menta & fulera quæstionum practicarum, quarum aliquot pro  
 commensurata spatii angustia singulis theorematibus subnecte-  
 mus, publicæ dissertationi exponere: Esto igitur

## TITULUS I.

### De Jurisdictione.

#### THEOREMA I.

Jurisdictio est potestas publica jus dicendi, quam habet ipse  
 Princeps, & cui is eam concesserit: dividitur in civilem & cri-  
 minalem; hæc dicitur imperium merum, illa mixtum.

A

Q. An


quod est primo  
 et; cui ut ame  
 me mesque a  
 tendo retraxit  
 m Tua me ar-  
 facturum sperem  
 conseratam vo-  
 ia, sapientem &  
 at.  
 uis in omnibus mo-  
 oritate sui propria  
 tentis Auditoria-  
 sapientia & equi-  
 tudinis mei juridi-  
 cabil respondant,  
 uolent, in quo  
 edus fuero, Pa-  
 sequis, ea qua

*Q. An arbiter compromissarius habeat Jurisdictionem?* R. neg. quia partes compromittentes sunt personæ privatae, quæ publicam potestatem concedere nequeunt, quam ipsæ non habent *L. 3. Cod. de Jurisdic. Obstat. 1.* Quod Austregæ Jurisdictionem habeant. R. Hi sunt arbitri potius legales quàm compromissarii *vide Schut-hard, in tract. de Austregis: Obstat. 2.* Quod qui subjicit se Judici non suo, dat ei jurisdictionem, quam non habet, R. Is non tam dat jurisdictionem quàm habet, quàm incompetentem & limitatam in se prorogat & extendit, *arg. d. l. 3. v. qui nulli præest iudicio.*

## THEOREMA II.

**M**erum imperium est publica potestas anima dvertendi in facinorosos, seu vindicandi delicta publica; hoc habet ipse Princeps & is cui ejus exercitium concesserit: Moribus nostris jurisdictio criminalis dividitur in superiorem & inferiorem; illa, non hæc dicitur antonomasticè Jus gladii. *Q. An in Hierarchia Ecclesiastica detur merum Imperium?* R. Non sic, ut in Imperio, cum nulla pœna Ecclesiastica sit merè vindicativa *Obstat 1.* Quod Pontifex Romæ & Episcopi in Germania exercent jus gladii? R. Id faciunt quæ Principes sæculares, & quidem non per se, sed per suos delegatos; videtur enim id repugnare mansuetudini Christianæ, irrogare pœnam sanguinis: *vide Cap. 4. de raptor. Obstat. 2.* Ecclesia ipsa dicitur habere jus gladii spiritualis. R. Non tam ad mortem quàm ad vitam. *C. 6. XXXIII. q. 2.* etenim pœna excommunicationis majoris videtur capitalis, ipse tamen excommunicatus si resipiscere velit, recipitur in communionem, & ideo non tam mortuo quàm dormienti similis videtur, qui se ipsum resuscitare potest: idem fere iudicium esto de pœna degradationis & perpetui carceris Ecclesiastici. Videatur *Zoës. ad lib. 2. dig. tit. 1. n. 58.* ubi resp. ad *Canones* apparenter oppositos.

THEO-



### THEOREMA III.

**M**IXTUM imperium est publica potestas jus dicendi & exequendi in causis civilibus, hoc cohæret cuivis magistratui ordinario: actus mixti imperii sunt vel jurisdictionis voluntariæ vel contentiosæ, illi dicuntur esse magis imperii quàm jurisdictionis. *Q. An mandatâ Jurisdictione transeat etiam imperium?* de mixto aff. de mero neg. hoc enim, non illud est extraordinariæ jurisdictionis & specialis concessionis. *L. 5. de off. ej. cui mand. est jurisd.* *Obstat 1.* Quod legatus proconsulis exercent quoque imperium merum; & is habet jurisdictionem non tam mandatam à proconsule, quam à populo ipso; præterea vide. *L. 2. de off. procons.* *Obstat 2.* Quod mandantis & mandatarii idem sit forum & tribunal; & in civilibus C. in criminalibus N. *Obstat. 3.* Quod Principes Imperii nostri imperium, quod habent merum, mandent aliis, Ecclesiastici quidem ex necessitate *c. f. ne Clerici vel Monachi. in 6.* Sæculares verò ex libertate. & Hi habent imperium hoc, jure proprio & ordinario, *Struv. in Syntagm. Juris publ. c. 19. §. 18. & c. 26. per totum.* secus ac Romani præfecti aut etiam proconsules vel præsides provinciarum, quibus exercitium illius imperii solum à lege specialiter concessum *L. 1. §. 1. de off. ejus cui mand. jur.*

### THEOREMA IV.

**J**urisdictionis simplex est legitima potestas jus dicendi, præciso imperio; hanc habet omnis Judex tam delegatus quàm ordinarius, inferior & superior; distinguitur à simplici notione, seu cognitione causæ, quam habuit olim Judex pedaneus, hodie simplex commissarius. *Q. An Jurisdictionis Camera Imperialis sit absq; imperio?* de mero aff. de mixto neg. aut enim habet jurisdictionem ordinariam, quod verius est, aut saltem mandatam? nec hæc nec illa sine imperio saltem mixto erit *L. 5. §. 1. de off. ejus cui mand. est jurisd.* *Obstat 1.* Quod Camera non habeat executionem realem &

immediatam; R. defectu imperii neg. defectu superioritatis territorialis conc. de executione Camerae & ejus executorialibus vide *Gail. 1. Obj. 113, Struv. Syntag. Jurisp. c. 24. §. 79. Obstat. 2.* Quod Camera habeat Jus banni & proscribendi statum imperii in causa fractae pacis tam religiosae quam profanae *Gail. tract. sing. de pace publica. R.* Præterquam quod hoc casu cameralis sententia banni possit dici merè declaratoria, hoc non est species jurisdictionis criminalis, nisi extraordinariae & specialiter concessae. *Struv. cit. loc. §. 70. Obstat. 3.* Quod habeat Jus bannizandi in omni casu finalis contumaciae. *Gail. d. L. n. 15. R.* Et hæc banni declaratio non infert magis merum imperium quàm excommunicatio Ecclesiastica, præsertim cum illius banni declarati realis executio non sit immediatè penes cameram. *Struv. cit. c. 5 §. 22. &* bannum ejusmodi ad privatam potius quàm publicam utilitatem tendens, civile magis quàm criminale dici debeat.

### THEOREMA V.

**M**andata Jurisdictio est quam quis beneficio & nomine alterius exercet sibi in univèrsam demandatam; hanc habent Vicarii Episcoporum Generales, nec non interim substituti à Præsidentibus provinciarum: mandatam sibi Jurisdictionem mandare alteri non posse, manifestum est; illius tamen partem delegare non prohibetur. *Q. An à mandatario ad mandantem appellari possit?* R. neg. *L. 1. §. 1. Si quis & à quo appell.* cum idem utriusque sit forum & tribunal, neque ab eodem ad eundem appellatio procedat. *Obstat 1.* Quod à delegatario ad delegantem appellari possit. R. Jurisdictio delegata non sic expirat morte delegantis, ut jurisdictionis mandata morte mandantis: Videatur *Vallensis lib. 1. tit. 29. §. 5.* unde patet utriusque disparitas. *Obstat 2.* Quod ab Officialibus & Commissariis Ecclesiasticis, etsi mandatam habeant jurisdictionem, appelletur ad Episcopum vel ejus Vicarium Generalem. R. Illi non habent jurisdictionem universalem, univèrsaliter



liter sibi mandatam, sicut Vicarii Generales, qui in curia Episcopi residentes univcrsum forum & tribunal Episcopale vice Episcopi administrant. *Vide Engel ad decret. lib. 1. tit. 28. n. 5.*

### THEOREMA VI.

**D**Elegata Jurisdictio est, quam quis in hac vel illa causa controversa specialiter sibi commissam exercet nomine & jure delegantis; dividitur in delegatam à supremo Principe & ab inferiore: delegatus à supremo, Pontifice puta vel Imperatore, subdelegare potest; ab inferiore non nisi expressam habens licentiam subdelegandi. *Q. An delegatus à Principe Imperii subdelegare possit. R.* Non videtur magis ac delegatus ab Episcopo *Obstat 1.* Quod Principes Imperii sint quasi Imperatores in suis Principatibus. *R.* Ipsorum tamen jurisdictio non est ita fontalis & originaria ac ipsius Imperatoris. *Obstat 2.* Principes ipsi constituunt Judices ordinarios, qui delegare possunt; ergo qui ab ipsis immediatè delegantur Judices, jure ordinarii censentur in eorum Principatibus. *R.* Præterquam quod hi judices respectu subditorum ordinarii, dici possent mandatarii respectu Principis, cujus vice judicant, cum absque ipsius præcitu & voluntate suam jurisdictionem mandare, & alium in locum sui substituere nequeant; constituuntur non jure supremiæ sed solùm superioritatis territorialis; *cit. Struv. c. 26. §. 13.* quod autem hi ita constituti Judices ordinarii possint delegare, profluit ex eorundem jurisdictionis universalitate & perpetuitate, quâ Judices delegati carent, quorum jurisdictio cum temporalis & singularis, etiam merè personalis judicanda, si non de alia mente delegantis expressè constet. *vide Gail. 1. O. 97. per totum.*

### THEOREMA VII.

**J**urisdictio prorogata dicitur, quæ ultra suos limites est extensa; proin sicut limitatio ita & extensiva hæc prorogatio jurisdictionis

nis quadrifariam concipi potest; de persona in personam, de causa in causam, de tempore in tempus, de loco in locum: prorogatio jurisdictionis quo ad personas alia est voluntaria, alia necessaria, hæc habetur in reconventionem, illa per liberam comparisonem & aditionem Judicis non sui citra oppositam fori exceptionem. *Q. An Clericus possit reconveniri coram Judice Laico?* *R.* Equidem Clericus nequidem volens potest conveniri coram Judice Laico *c. 12. de foro compet. vel etiam Ecclesiastico non suo c. 18. eod.* eoquod privilegium fori sit toti ordini concessum, neque limites dicecesium sunt confundendi; si tamen ipse Laicum conveniat, ab eodem posse reconveniri probabilius videtur, *tot. tit. x. de mutuis petit. Obstat 1.* Clericus non potest in se prorogare jurisdictionem Laici. *R.* Prorogatione voluntariâ & conventionali C. necessariâ & legali N. *Obstat 2.* Quod nulla lege canonica hæc prorogatio jurisdictionis clericalis sit permessa. *R.* Generalis saltem permissio colligitur ex *c. 1. de nov. oper. nunciat. Zoës. ad lib. 42. ff. tit. 1. n. 35. Obstat 3.* Quod sic sit in potestate Laicorum clericos invitos trahere ad forum sæculare. *R.* Non magis quam in potestate clericorum trahere invitos Laicos ad forum Ecclesiasticum. si enim liceat clerico Laicum coram Judice Ecclesiastico reconvenire, æquum erit & Laico quoque licere clericum reconvenire coram Judice Laico, in iis scilicet causis, de quibus Laicus cognoscere valet. *Vallens. ad tit. de mut. petit. §. 1. n. 3. in fin.*

### THEOREMA VIII.

**J**urisdictionis personalis est, quæ aut ad tempus certum, aut saltem ad dies vitæ concessa expirat morte personæ; Patrimonialis verò quæ jure vel allodii vel feudi possessa transit ad successores aut universales solum aut etiam singulares: non personalis, sicut patrimonialis acquiri potest, mediante præscriptione aut cessione. *Q. An castro in feudum concessio simpliciter cum jurisdictione mit dem Gerichten, censeatur etiam concessum imperium merum?* *R.* De feudo

quo, si ei antecede  
neg. *Obstat 1.*  
sic interpretand  
ultra mentem conce  
est, ea quidem co  
explicari non potest,  
jurisdictione comm  
jurisdictionis nom  
merum & mixtu  
sumi potest & spe  
pendum suadet. *Arg.*  
quo vox *Omnimoda*  
in exam. suo ju

TI  
De Fo  
TH  
trum pro tribunali  
internum sacramenta  
hoc dividitur prin  
que vel est comp  
prajudices exter  
condemnat reum  
tam in civilibus  
Deus non conde  
procedit de reo p  
constat. *Obstat*  
sufficiencia. *R.* Id pro  
tam quando præsump  
quæ in foro intern

do antiquo, si ei antecedenter imperium hoc annexum fuerit, aff. de novo, neg. *Obstat 1.* Quod beneficium Principis quàm plenissimè sit interpretandum *L. 3. ff. de constit. Princip.* R. Non tamen ultra mentem concedentis & verba concessionis; cui jurisdictiono data est, ea quidem concessa esse videntur, sine quibus Jurisdictiono explicari non potest, ast ea sine imperio mero, qui nullum cum jurisdictione commercium, sat explicari potest. *Obstat 2.* Quod jurisdictionis nomen generale sit, complectens sub se imperium merum & mixtum. R. Generale quidem est, sed generaliter sumi potest & specialiter; in dubio præsentis specialiter accipiendum suadet. *Arg. L. 13. §. 26. de injur.* quod dubium cessabit casu, quo vox *Omnimoda mit allen und jeden Gerichten*, sit addita *Stryck in exam. suo juris feudal. c. 8. q. 24.*

## TITULUS II.

### *De Foro competente.*

#### THEOREMA I.

**F**orum pro tribunali Judicis seu loco judicii sumptum aliud est internum sacramentale & poli, aliud externum, judicialis, & fori: hoc dividitur principaliter in Ecclesiasticum & sæculare, utrumque vel est competens vel incompetens. *Q. An forum internum præjuicet externo, aut vice versa?* R. Neg. sæpe enim unum condemnat reum absolutum in altero, aut absolvit condemnatum, tam in civilibus quàm in criminalibus. *Obstat 1.* Quod quem Deus non condemnat, nec homo damnare potest: R. Id non procedit de reo pœnitente, sed innocente, de cujus innocentia constat. *Obstat 2.* Quod absolutus judicialiter sit tutus in conscientia. R. Id procedit solum in casu dubio & probabili, nno etiam quando præsumptio, quæ militat pro sententia, cedit veritati, quæ in foro interno aperta est in contrarium. *Obstat 3.* Quod judicialia-

judicialiter condemnatus non possit Sacramentaliter absolvi. *R.*  
In casu quo condemnatio justa fuerit & æqua C. quo injusta &  
iniqua N.

## THEOREMA II.

**F**orum Ecclesiasticum dicitur, in quo coram persona Ecclesiastica, aut inter Clericos qualescunque aut etiam inter Laicos, Ecclesiasticæ controvertuntur causæ: forum sæculare dicitur, in quo coram persona sæculari vel etiam Ecclesiastica solum inter Laicos, aut saltem Laico reo ventilantur, causæ controversæ merè sæculares: Utrumque dividitur in criminale & civile, superius & inferius. *Q.* An forum Ecclesiasticum præjudicet foro sæculari & vice versa? *R.* Præjudicat utique in civilibus, ut exceptio rei judicatæ in uno obstet in altero; non etiam in criminalibus, ut pœna Ecclesiastica absorbeat sæcularem. *Obstat 1.* Quod sint fora disparata, & autoritas rei judicatæ suum quodque forum teneat. *R.* Sicut leges non dedignantur imitari sacros Canones, ita sacrorum statuta canonum Principum constitutionibus adjuvantur. *C. 1. de nov. op. nunc.* itaque forum Ecclesiasticum non respuit judicatum sæculare, & vice versa. *Gail. 1. Obser. 115. n. 7.* exemplum esto in clerico qui à Laico conventus in judicio Ecclesiastico absolutus est, hic dum convenit Laicum in judicio sæculari, ab eodem reconventus utitur exceptione rei judicatæ. *Obstat. 2.* Quod pœna sæcularis absorbeat Ecclesiasticam. *R.* Majus absorbet minus, est autem pœna Ecclesiastica quàm medicinalis plerumque minor quàm sæcularis, quæ vindicativa est.


## THEOREMA III.

**S**icut forum Ecclesiasticum dividitur in Pontificium & Episcopale; ita forum sæculare in Imperatorium & principale: forum Imperatoris supremum est & universale; dividitur in Camerale & Aulicum, quæ regulariter concurrentem habent jurisdictionem. *Q.* An liceat Imperatori causas in Camera pendentes avocare? negat id *Gail.*

*Gail. 1. Obs. 41. propter ordinationem Imperii p. 2. tit. 35. Obstat. 1.*  
 Quod Episcopus possit causas in suo Vicariatu pendentes avocare; *R.* Camera Imperialis habet potius ordinariam, quàm mandata jurisdictionem, qualem habet Vicarius Generalis. *Obstat. 2.*  
 Et si Jurisdictio Camerae sit ordinaria respectu singulorum statuum Imperii, respectu tamen Imperatoris non est nisi mandata; *R.* Non sic ut Jurisdictio Vicarii Generalis; præterquam enim, quod iudicium Camerae tam à Cæsare quàm à statibus Imperii constitutum, ipse Imperator per modum contractus in ordinationem Camerae consensit. *Gail. L. c. n. 3. & 4. Obstat. 3.* Quod liceat Imperatori causas in suo iudicio aulico pendentes ad se avocare; *R.* Præterquam quod hoc à solo Imperatore dependeat, illa avocatio causarum minus infert præjudicium partibus, quàm hæc.

#### THEOREMA IV.

**F**orum Principale particulare est, & restrictum ad suum quodvis Principatum; dividitur in commune & privilegiatum: illud est aulicum, civicum, vel provinciale: hoc est academicum, militare vel aulicum in specie. *Q. An nobiles speciale habeant forum?* de immediatis aff. de mediatis neg. *Obstat. 1.* Quod studiosi milites & aulae Ministri seu officiantes speciale habeant forum; *R.* Privilegium istud adscribendum principum voluntati. *Obstat. 2.* Quod senatores & clarissimi non nisi coram præfecto prætorio possint conveniri; *R.* Id tribuendum, non tam nobilitati quàm eorum officio, quo si nobilis natus fungatur, pari gaudet privilegio. *Obstat. 3.* Quod nobiles non debeant censi Jure reliquorum subditorum; *R.* Quo ad onera & munia personalia C. quo ad forum jurisdictionis N. hoc tamen privilegium discriminis loco nobilibus etiam mediatis & Provincialibus, qui neque clerici, neque milites, neque aulici, aut nobilitati immediatæ incorporati sunt, concedi posset, ut non ad instar aliorum conveniantur coram infimis iudicibus, sed coram regimine Principis, aut aliis præfectis provinciarum. *Pacius in sua analysi Codic. lib. 3. tit. 14.*



## THEOREMA V.

Sicut actor sequitur forum rei, ita reus sortitur forum, aut ex persona propria aut aliena, idque vel universaliter in loco domicilii vel singulariter in loco contractus, delicti, aut rei sitæ. *Q. An Clericus qui est hæres Laici, possit à creditoribus hæreditariis conveniri coram Judice Laico?* *R.* Aff. sive lis cum defuncto jam fuerit excepta: *L. 24. de judic.* sive adhuc cum ejus hærede incipienda *L. 10. eod.* *Obstat 1.* Legatarii non possunt convenire hæredem nisi in foro ejus proprio; *R.* Non sic contrahit hæres cum creditoribus, ut cum legatariis; cum iis sua maneat actio quæ sita & propria, cujus conditionem deteriolem facere nequit qualitas seu privilegium hæredis. *Obstat 2.* Quod Clericus, quæ possessor rei sæcularis, nequeat conveniri coram Judice Laico, ergo nec quæ hæres Laici, *R.* Non sic possessor induit qualitatem rei possessæ, etsi propter rem possessam conveniatur; ut hæres induit qualitatem defuncti cujus personam repræsentat tam activè quàm passivè, non minus ac procurator personam sui principalis.

## THEOREMA VI.

Forum domicilii est vel originarium, vel accidentarium: illud fundatur in solo patriæ, hoc in perpetua & fixa cujusque habitatione; domicilium habitationis vel liberum est & voluntarium, vel quadantenus necessarium, ut in uxore, quæ sequitur domum mariti. *Q. An origine germanus possit conveniri in Germania, si habitet Parisiis?* *R.* Neg. Siquidem emigrando amiserit Jura civitatis germanicæ. *Obstat 1.* Quod domicilium originis sit immutabile. *L. 9. ad L. municip.* *R.* Hæc immutabilitas moribus est antiquata. *Schütz ad Lauterb. s. ff. 1.* imò & jure incognita, quo ad eum, qui mutat statum substantialem civitatis, ut facit ejusmodi emigrator seu transfuga. *Obstat 2.* Quod is, qui migrat de provincia in provinciam non præjudicet creditoribus, quantum,

forum veteris domi  
 tate transeat. Q  
 est in eo: qui ex L  
 forte in præjudi  
 alteri non facit  
 non in tempore  
 non tollatur, muta  
 cui nulla mig  
 ferre potest.

THE

forum contractus est sp  
 abentium, ad contra  
 contractus verus si  
 nisi solutio in  
 contrahentes tacite v  
 agi possit ad res  
 contractus qualiscu  
 nom. Vide *L. 2. C. ubi  
 actus peti possit in lo  
 ta exceptio sicut act  
 qui metu coactus c  
 res rescissionem. *R.*  
 delicto. *Obstat 3.* Qu  
 agere ex ipso con  
 loco contractus; Res  
 rationem ad sui ipsi  
 fundabit fori com  
 majoris præjudicii  
 fut. *C. ubi & coram*  
 THE  
 forum delicti est speci  
 quantum ad poenam c*

rum ad forum veteris domicilii; *R.* Qui migrat clam, & publica autoritate transeat. Qui palam & publica autoritate N. instantia est in eo: qui ex Laico factus Clericus, mutat forum suum, etiam fortè in præjudicium creditorum suorum; qui utitur Jure suo, alteri non facit injuriam; & imputent sibi creditores, quod sibi non in tempore vigilaverint. *Obstat. 3.* Quod litis pendencia non tollatur, mutatione domicilii; *R.* Illa inducit quasi contractum, cui nulla migratio aut mutatio personæ vel domicilii præjudicium ferre potest. *Vide Brunnem. ad L. 34. de judic.*

THEOREMA VII.

FORUM contractus est speciale pro actionibus in personam contrahentium, ad contractum implendum tendentibus; sive iste fuerit contractus verus sive quasi talis, sive nominatus, sive innominatus: nisi solutio in alium locum destinata fuerit, aut aliud inter contrahentes tacitè vel expressè actum. *Q. An etiam in loco, contractus agi possit ad rescindendum contractum?* *R.* *Resp. neg.* cum rescissio contractus qualiscunque fiat contra intentionem contrahentium. *Vide L. 2. C. ubi & apud quem cog. Obstat. 1.* Quod rescissio contractus peti possit in loco contractus per viam exceptionis; *R.* Non ita exceptio sicut actio requirit forum competens. *Obstat. 2.* Quod qui metu coactus contraxit, possit in loco contractus agere ad illius rescissionem. *R.* Id provenit, non tam ex contractu, quàm ex delicto. *Obstat 3.* Qui contrahendo læsus est ultra dimidium, potest agere ex ipso contractu, ad illius rescissionem; ergo etiam in Loco contractus; *R.* esto quod contractus bonæ fidei fundet actionem ad sui ipsius rescissionem, quod multi negant, non tamen fundabit fori competentiam quo ad hunc effectum; hoc enim majoris præjudicii est, ac illud. *Vide Bachov. ad tit. de in integ. restit. C. ubi & coram quo &c.*

THEOREMA VIII.

FORUM delicti est speciale, pro actionibus in personam delinquentium ad pœnam delicti tendentibus; sive pœna ista civilis sit,

sit, five criminalis, mera an mixta. Q. *An reus conveniri possit in loco delicti si ibi non deprehendatur?* Resp. aff. cum non ipsa rei præsentia, sed præsentis delictum, uti & contractus fundet forum. Vide *L. 19. §. 1. de judic. Berlich. p. 2. decis. 181. Obstat 1.* Quod absens citari non possit; Resp. Citatione reali, immediatâ, & speciali C. personali, mediâtâ, & edictali N. *Obstat 2.* Quod absens puniri non possit; Resp. executivè T. condemnatoriè N. *Obstat 3.* Quod reus absens à loco contractus non possit aliter ibidem conveniri, quam si habeat ibi bona sita. Resp. de Jure Canonico, & quo ad effectum exactionis C. de Jure civili & quo ad effectum actionis N. vide *c. 1. §. contrahentes de foro competente in 6. Gail. 2. O. 36. n. 14*

## TITULUS III.

### De Judiciis

#### THEOREMA I.

Judicium aut sumitur materialiter pro ipsa actione in judicium deducta, aut formaliter pro ipso processu judicario: in priore acceptione dividitur in civile & criminale, petitorium & possessorium, reale & personale, universale & singulare, purum & mixtum; in posteriore verò dividitur in summarium & ordinarium, simplex & duplex, primæ & secundæ instantiæ. Q. *An liceat privatâ autoritate rem suam, aut sibi debitam vindicare & persequi* R. Non est singulis concedendum, quod per magistratus publicè fieri potest: ne occasio sit majoris tumultus faciendi *L. 176. de R. J. Obstat 1.* Quod liceat Domino servum suum fugitivum persequi, & inventum reducere; Resp. is fugiendo facit furtum sui, neque suo facto possessionem Domini intervertere potuit. *Obstat 2.* Quod liceat furem persequi & rem furto ablatam recuperare; Resp. in continenti C. ex intervallo N. illud enim sapit potius possessionis suæ defensionem quam fur intervertete intendebat; idem dicim violentis invasionibus. *Obstat 3.* Quod licita sit occulta com-  
pen-



pensatio in debitis purè naturalibus, aut civilibus, quæ destituuntur probatione. *R. N.* nisi fortè per occultam compensationem intelligas retentionem rei alteri debitæ, in compensationem sui debiti, *vide L. 12. §. 6. L. 13. quod met. caus. Perez. in tit. Codic. quando liceat unicuique sine iudice &c.*

### THEOREMA II.

**J**udicium civile est, in quo agitur civiliter, aut persequendo rem nostram vel nobis debitam, aut pœnam pecuniariam ipsimet agenti applicandam: Criminale iudicium dicitur, in quo agitur criminaliter, aut ad pœnam corporalem, aut ad pecuniam fisco vel aliis usibus publicis applicandam. *Q. An actio criminalis præjudicet civili vel vice versa?* *R.* actio civilis quæ privata, nunquam præjudicat criminali quæ publicæ, sive agatur de persecutione pœnæ publicæ, sive de probatione criminis; actio verò criminalis, quantum ad probationem, præjudicat civili, eò quòd major probatio in criminalibus requiratur quam civilibus. *L. 25. C. de probatione.* quantum verò ad persecutionem pœnæ non præjudicat, nisi hæc sapiat meram vindictam actoris, *vide L. 6. & 7. §. de injuriis. Obstat.* Quod nemo debeat bis puniri ob idem delictum. *R.* pœnâ eadem & uniformi; *C.* diversâ & difformi *N.* *vide Perez. ad L. un. C. quando civ. actio criminali præjudicet.*

### THEOREMA III.

**J**udicium petitorium est, in quo controvertitur ipsum jus, aut actione in rem, aut actione in personam: Possessorium est, in quo agitur de ipsa rei possessione, aut adipiscenda, aut retinenda aut recuperanda. *Q. An possessorium cum petitorio cumulari possit?* *R.* de jure Canonico, quod praxis sequitur, potest petitorium cum possessorio cumulari, si agatur de recuperanda vel adipiscenda possessione, secus si de retinenda *C. 3. & 4. de caus. poss. & prop. dispari-*

tatem dat *Hoppe ad §. 4. J. de interd.* quia illa tendunt ad eundem finem, hæc sibi contrariantur. *Obstat 1.* Quasi possessori servitutis & aliarum rerum incorporalium datur actio in rem confessoria, ergo & verò possessori rerum corporalium dari potest actio in rem vindicatoria. *Re.* illa non datur sic adversus possessorem servitutis, sed prædii servientis, ut hæc datur adversus possessorem rei vindicandæ. *§. 2. J. de action.* *Obstat 2.* Quod saltem uno casu, is qui possidet, actoris partes obtineat *cit. §. 2. in fin.* *Re.* aliud est agere, aliud est actoris partes seu onus probandi obtinere; casum vide *Leg. fin. de rei vindic.* *Obstat 3.* Quod, etsi possessori non sit necessaria rei vindicatio, utilis tamen esse potest, aut saltem non impossibilis declaratio dominii, quod quis habet in re possessa. *Re.* cum omnis sententia definitiva debeat esse vel condemnatoria vel absolutoria rei, *L. 3. C. de sentent. & interloc.* non datur purè declaratoria, unde cum actor petat se declarari possessorem simul & dominum; libellus iste non est aptus ad sententiam ferendam, vide *Franck. exerc. 14. ad instit. q. 1. & 2.*

#### THEOREMA IV.

**J**udicium reale dicitur, in quo actor principaliter petit, declarari jus, quod habet in re vel propria, vel etiam aliena; Personale dicitur, in quo actor principaliter petit, reum condemnari ad præstandum id, quod est in obligatione, quæ ex delicto, vel contractu vero vel quasi, aut aliunde provenit. *Q. An verus Dominus possit agere in rem publicianâ?* *Re.* quæ talis N. quæ bonæ fidei possessor C. *Obstat 1.* Quod verus Dominus non possit usucapere; *Re.* defectu alicujus requisiti. N. propter dominium, quod verè habere supponitur, non autem ponitur in libello actionis C. propter difficilem probationem dominii, sæpe agit verus Dominus in rem publicianâ tanquam bonæ fidei possessor; imò uno libello hæc actio successivè seu alternativè jungi solet cum rei vindicatione,

ne, petendo rem jure domini vel quasi *C. 3. de re judic. in 6. Gail. 1. 0. 6. Obstat 2.* Quod hæc actio non detur ei qui jam rem usucepit *L. 3. de in rem publ.* *R.* si hoc ipsum libello suæ actionis inserat *C. secus N. de in is,* qui jam usucepit, facillimam habet probationem domini, secus ac ille, qui fundat se in titulo derivativo, ubi probandum quoque dominium sui auctoris.

### THEOREMA V.

Judicium singulare erit ubi de rebus singulis controversitur, ut in rei vindicatione; universale, ubi de quadam universitate rerum, ut in petitione hæreditatis: inter utrumque mediat judicium generale, ubi generatim agitur de administratione plurium rerum, ut in judicio tutelæ &c. *Q. An hæreditatis petitio detur contra titulum malæ fidei possessorem?* de directa *N. de utili aff. Lauz. verb. ad ff. tit. de hæret. petiti. L. 13. §. 8. & 9. eod.* *Obstat 1.* Quod titulati rerum hæreditariarum possessores solùm teneantur actione in rem singulari. *L. 7. Cod. eod.* *R.* si titulum habeant ab alio quàm ab eo qui res hæreditarias possederat pro hærede vel possessore *C. si ab eo N. vel subd. si bonæ fidei C. si malæ fidei N.* *Obstat 2.* Quod ipse alienator adhuc teneatur petitione hæreditatis, ergo non ipse alienatarius; *R.* directò & principaliter *C. utiliter & in subsidium N.* *Obstat 3.* Quod *L. 13. §. 8. eod.* loquatur de emptore hæreditatis, ergo non extendenda ad emptores singulares, *R.* *L. 25. §. 8. in fin. eod.* loquitur indistinctè: *Unde si alius sit possessor, ab utroque hæreditas peti potest.*

### THEOREMA VI.

Judicium purum est, quod non est mixtum: mixtum autem dicitur, quod est aut partim reale, partim personale, aut partim pœnale, partim rei persecutorium; priori in sensu mixta sunt judicia familiæ ercisundæ, communi dividundo, finium regundorum

dorum & petitio hæreditatis. Q. *An re communi sublatâ adhuc communi dividendo agi possit?* R. utilem concedit *L. 6. §. 1. de comm. dividendo* ratione præstationum personalium *L. 11. eod.* *Obstat. 1.* Quod sublatâ re propria nequidem utiliter in rem agi possit. R. actio in rem seu rei vindicatio non pertinet ad judicia mixta, sicut de communi dividendo *§. 20. de action.* *Obstat. 2.* Quod præstationes personales peti possint actione pro socio *L. 1. de comm. divid.* R. hæc non habet locum nisi ex communiione voluntaria, quæ inducit contractum societatis. *Lauterb. ad tit. ff. pro socio.*

### THEOREMA VII.

Judicium ordinarium est, in quo proceditur secundum ordinem jure civili communi vel particulari præscriptum; summarium verò ubi solum observantur ea, quæ saltem jure gentium ad substantiam judicii requiruntur; ut sunt actoris petitio & probatio, rei citati responsio & defensio, judicis cognitio & sententiæ latio. Q. *An judex invitis partibus possit causam summarie cognoscere?* R. non nisi lege publica ita ordinatum, ut judicia primæ instantiæ sint summaria. *Obstat. 1.* Quod publicè interfit ut lites abbrevientur. R. Observato tamen ordine judiciorum, quem judex intervertere nequit. *L. 9. §. 1. & seq. de off. Procons.* *Obstat. 2.* Quod partes invito judice possint velle summarie procedi. R. Ordo procedendi non tam judicis quàm partium favorem concernit. *Obstat. 3.* Quod Imperator possit de plano procedere etiam invitis partibus. *L. 1. §. 1. de constit. Princip.* R. ab Imperatore qui legislator est, ad judicem inferiorem non tenet argumentatio.

### THEOREMA VIII.

Judicium primæ instantiæ dicitur, ubi causa primò controversatur. Secundæ verò instantiæ ubi causa jam semel decisa, iterum deducitur in judicium & examinatur, an in priori instantia bene

TIT  
De C

T  
Judicium Judicis cor  
nem jus dicendi &  
noni sunt subjecti: I  
nstit in exercitio im  
lectionis simplicis.  
impertiri? R. in c  
es N. *Obstat. 1.* Q  
processu inquisition  
actoris, vide t. t  
dem jure civili non li

bene, vel malè judicatum fuerit. Nomine secundæ venit etiam tertia instantia, imò & quarta; sicubi hæc in una alterave Provincia sit recepta. Q. *An liceat non observato instantiarum ordine aut adire aut appellare ad supremum Judicem?* R. de jure Canonico aff. de jure civili neg. *Obstat. 1.* Quod id liceat pupillis, viduis & cæteris miserabilibus personis, *tot. tit. C. quando Imperator &c.* R. hoc speciale privilegium non tam infirmat quam firmat regulam in casibus non privilegiatis. *Obstat. 2.* Quod supremus Judex tanquam Princeps & Legislator non sit ad ordinem judicarium ligatus *L. 31. de Legibus.* R. attamen Princeps bonus secundum Leges solet vivere & judicare, neque juribus partium, ad quæ exceptio primæ instantiæ & servandi ordinis pertinet, præsumitur velle præjudicare, etsi absolutè possit, vide *L. 4. C. de Legibus.* *Obstat. 3.* Quod id liceat jure Canonico. *C. 7. de appellat.* R. hoc non facit regulam in adiaphoris, qualis est hæc judiciaria materia. Vide *C. 46. eod.*

## TITULUS IV. *De Officio Judicis.*

### THEOREMA I.

**O**fficium Judicis complectitur tum potestatem tum obligationem jus dicendi & justitiam administrandi iis, qui suæ jurisdictioni sunt subjecti: Dividitur in nobile & mercenarium. Illud consistit in exercitio imperii meri aut mixti, hoc in exercitio jurisdictionis simplicis. Q. *An Judex non imploratus possit suum officium impertiri?* R. in criminalibus & publicis aff. in civilibus & privatis N. *Obstat 1.* Quod ubi nullus actor ibi nullus Judex. R. in processu inquisitionis fiscus reipublicæ vel Ecclesiæ subit personam actoris, vide *t. 1. X. de accusat. & inquisit.* *Obstat 2.* Quod saltem jure civili non liceat inquirere sine accusatore. R. id negat

*Zoës. ad tit. ff. de accusat. n. 32. per L. 13. de offic. prasid. Obstat 3.*  
 Quod Judex non possit condemnare quem privatâ scientiâ habet  
 nocentem. *R.* plus requiritur ad condemnandum, quàm ad in-  
 quirendum; præterea inter ipsam inquisitionem generalem &  
 specialem bene distinguendum, cum ad hanc requiratur saltem  
 fama publica aut graviora indicia. Vide *C. 24. de accusat. & inquisit.*

## THEOREMA II.

**O**fficium suum nobile exercet Judex, dum inquit in delin-  
 quentes & reos delicti publici, eos capiendo, torquendo,  
 condemnando & puniendo; sive ea pœna publica sit naturaliter vel  
 civiliter capitalis, sive etiam tantum consistens in relegatione, fu-  
 stigatione &c. imò etiam si merè pecuniaria fisco tamen vel usibus  
 publicis applicanda. *Q.* An Judex possit esse durior vel mitior *Lege*  
*pœnali?* *R.* negat *L. 11. de pœn. Obstat 1.* Quod in levioribus cau-  
 sis proniores debeant esse Judices ad lenitatem, in gravioribus  
 verò pœnis severitatem Legum cum aliquo temperamento benigni-  
 tatis subsequi. *d. L. 11. in fin.* *R.* id intelligendum de pœnis ar-  
 bitrariis, aut si etiam de ordinariis, solummodo commendatur  
 lenitas præ duritie, cum hæc majus præjudicium inferat parti,  
 quàm illa reipublicæ. *Obstat 2.* Quod Lex ipsa statuens pœnam  
 ordinariam possit Judici videri nimis dura. *R.* Judicis non est ju-  
 dicare de Legibus, sed secundum Leges. *Zoës. ad tit. ff. de pœn. n.*  
*9. per C. 3. dist. 4. & ipsam duritiem Legum mitigandam sibi refer-*  
*vavit Imperator L. 9. in C. de Legib. ad quem recurrendum.*

## THEOREMA III.

**P**ariter officium suum nobile exercet Prætor, dum petentibus  
 concedit bonorum possessionem, creditores mittit in possessio-  
 nem, dum pupillis constituit tutores, aut Judices dat litiganti-  
 bus. *Q.* An missio ex secundo saltem decreto Judicis tribuat rei domi-  
 nium?

nium? *Re.* in causa damni infecti affirmat *Lauterb. ad tit. ff. de reb. auth. jud. possit per L. 15. §. 16. de damno infecto:* de aliis negat per *C. fin. §. in aliis X. ut lite non contestatâ & L. 9. Cod. de bon. Author. judic. poss.* *Obstat. 1.* Quod veram consequatur rei possessionem. *Re.* hæc solùm tribuit conditionem usucapiendi, non etiam ipsum dominium. *Obstat. 2.* Quod usucapione non sit opus, ubi debitor verus fuerit Dominus. *Re.* si dominium debitoris in creditorem statim transfret *C. secus N. &* hoc quidem in actionibus realibus ubi secundo decreto opus non esse receptum teste *Zoës. ad præfat. tit. n. 7.* in personalibus enim nequidem transit condicio usucapiendi, sed solùm potestas vendendi. *L. 9. Cod. eod.* quòd si autem emptor illius rei non inveniatur, impetrandum jus domini ab ipso Imperatore *t. t. C. de jur. domin. impetr.*

#### THEOREMA IV.

**I**nterdicta quoque prætorialia & actiones quævis extraordinariæ profluunt ex nobili judicis officio: imò & ea quæ litem contestatam antecedere, ut in jus vocatio, aut sententiam latam subsequi solent, ut executio, eidem adscribenda sunt. *Q. An Judex ad instantiam unius partis possit decernere mandata exhibitoria, aut prohibitoria sine clausula, ut vocant justificatoria?* *Re.* Nonnisi in casibus specialiter Lege exceptis, cum ab executione non sit inchoandum; *Gail. 1. O. 13. ubi n. 3. & seq.* tradit fallentias. *Obstat. 1.* Quod mandatis Judicum quibuscunque parendum præcisè. *Re.* si sint juribus conformia *C. aliàs N. vide L. 9 §. 1. de offic. Procons.* *Obstat. 2.* Quod interdicta Prætorum valida fuerint, et si sine clausula justificatoria concepta. *Re.* illa fuere interdicta generalia, pro quibus nunc extraordinariæ actiones competunt. *tot. tit. ff. de interd.* *Obstat. 3.* Quod mandata executiva valeant sine tali clausula, *Re.* illa supponunt rem jam judicatam, vid. *L. 1. C. de execut. rei judic.*

## THEOREMA V.

**O**fficium suum mercenarium exercet Judex, dum audit querelas partium earumque veritatem & justitiam examinando, & prout invenerit mediante suâ sententiâ decidendo; reo citato autem intentionem actoris proponat, ejusque responsionem præprimis excipiat ut videat an foro cedere, an litem contestari malit. *Q. An lite non contestatâ possit Judex procedere ad testium receptionem aut etiam sententiam definitivam?* *Re. Neg. tot. tit. X. ut lite non contestatâ. Obstat. 1.* Quod contra contumaciter absentem pronuntiari possit, si de jure actoris liqueat *L. 13. §. 3. Cod. de judic. Re. aut loquitur de judicio jam cæpto, aut in pœnam contumaciæ fingitur lis quasi contestata Vultej. L. 3. C. I. n. 85. &c. Obstat. 2.* Quod testes possint produci & examinari ad perpetuam rei memoriam. *c. 5. ut lit. non contest. Re. receptum in favorem reorum, quorum in potestate non est agere aut excipere quando volunt. L. 5. §. fin. de doli mali except.*

## THEOREMA VI.

**L**ite contestatâ exiguntur probationes eorum, quæ in judicium sunt deducta ab actore vel reo: sicut autem regulariter actori incumbit probatio, non reo, ita cum reus excipiendo fit actor, & ipse probabit suam exceptionem quatenus facti est. *Q. An reus excipiendo fateatur intentionem actoris?* *negat L. 9. ff. de exception. Obstat. 1.* Quod is qui opponit exceptionem juris, non negat actionem in facto fundatam. *Re. etsi non simpliciter & expressè neget, tamen non absolute & positivè affirmat, cum detur medium inter utrumque. Obstat. 2. L. 9. Cod. eod. v.: Si verò de hac confitendo exceptione non munitum asseveras de hac tantum agi convenit:* *Re. loquitur de confessione expressâ & ab ipsa exceptione separata. Obstat. 3.* Non potest non fateri debitum fuisse, qui



qui illius solutionem opponit. *Re.* si opponat specificè & absolute  
*C.* si generatim & solum conditionaliter *N.* unde multum refert,  
 inter ipsas exceptiones & modos illas proponendi.

THEOREMA VII.

**E**Xactis probationibus causa concluditur, & partes submitunt  
 favorabilem Judicis sententiam expectantes: Ipse autem Ju-  
 dex acta judicii præviè diligenter perlustret, & examinet, an id  
 quod probandum sit plenè probatum, nec ne. *Q.* An auctore non  
 probante reus sit absolvendus? ita habet *L. 4. C. de edendo.* *Obstat. 1.*  
 Quod actor possit reo deferre juramentum etsi nihil probaverit. *Lau-*  
*terb. ad tit. ff. de jurejur. per L. 35. eod.* *Re.* & ipsa juramenti delatio,  
 si eam Judex approbaverit, est species probationis extraordinariæ:  
 Sic quoque Judex ipse ex officio sæpe defert juramentum aut reo  
 purgatorium aut auctori suppletorium. *Obstat 2. L. fin. de rei vin-*  
*dicat.* *Re.* ibi in pœnam mendacii transfertur onus probandi in ad-  
 versarium, ut merito auctore non probante dominium, reus con-  
 demnetur, si non ipse probet se dominum esse: idem dicendum  
 in aliis casibus, ubi pro auctore militat præsumptio juris.

THEOREMA VIII.

**F**inis judicii sententia est, quam fert Judex reum aut condem-  
 nando aut absolvendo; hæc latâ dicitur functus esse suo officio,  
 mercenario scilicet; sive bene sive malè judicaverit. Quod si par-  
 tes se eâ gravatas putent, habent necesse, ut ab ea intra decen-  
 dium appellent, aliàs transibit in rem judicatam cujus autoritas  
 maxima est. *Q.* An Judex in questionibus juris possit sequi senten-  
 tiam probabilem relicta probabiliore? *Re.* neg. propter maximum  
 præjudicium partis. *Obstat 1.* Quod Advocato liceat sequi sen-  
 tentiam minus probabilem. *Re.* Illius sententia non facit jus par-  
 tibus.

tibus. *Obstat. 2.* Quod sæpe sententiæ probabiliore sint falsæ magis quàm minùs probabiles R. cum veritas quatenus apparet, moveat; quæ si magis apparet Judici, magis ejus animum movere debet. *Obstat. 3.* Quod Judex hodie non sit alligatus ad responsa privata Jurisprudentum eorùmque autoritates. *Hoppe in usu hodie. ad §. 8. de jur. nat.* R. non solùm spectanda probabilitas extrinseca sed & intrinseca, quæ ex ipsis rationibus desumitur. Unde si una sententia sit intrinsecè, altera extrinsecè probabilior, illa potius quàm hæc sequenda erit Judici; quod si utraque æque probabilis, eligat quam velit. Arg. *L. 13. de Legibus.* Atque hæc pro modo instituti scripta sunt satis; de jurisdictione & foro competente, de judiciis, & officio Judicis: plura qui petit, consulat præfatos titulos in Sedibus suis ordinariis, & qui ad eos commentati sunt

Authores.

F I N I S.



CO-



# COROLLARIA

## *Ex vario Jure.*

I.

**L**egislator Legibus suis nonnisi quo ad vim directivam adstringitur.

II.

Rescriptum gratiæ sub- & obreptitiè impetratum ipso jure vitiatur.

III.

Cum mala fide nulla currit præscriptio rei.

IV.

Exceptio præscriptionis non eliditur per replicationem malæ fidei in actionibus tam perpetuis quàm temporalibus.

V.

Beneficium resignatum per procuratorem ad resignandum constitutum, principali, re adhuc integra, incio procuratore mortuo, non per resignationem sed mortem vacat.

VI.

## VI.

Episcopatus à Presbyterii ordine rectè distinguitur.

## VII.

Ad futuræ hæreditatis paternæ titulum filiusfamilias ordinari nequit.

## VIII.

Sponsalia priora semper sunt potiora, si sint ejusdem generis.

## IX.

Matrimonium per Procuratorem rectè contrahitur.

## X.

Clericus minor contra beneficium resignatum, de facto alteri collatum, si in hac resignatione læsus sit, restitui potest.

## XI.

Testamentum suis solemnitatibus destitutum nequidem in foro interno habet effectum.

## XII.

Testamentum secundùm statuta loci minori cum solemnitate confectum ubique suam obtinet firmitatem.

## XIII.

Libelli mutatio salvâ eâdem instantiâ non est admitenda.

## XIV.

Renunciatio patre  
non removet.

Exhæredatus non  
augmentum leg

Legitima statuto  
& adimi potest

Hæres rem suam  
obstante exceptio

Ad publicianam  
sufficit utroque jur

Subductâ fœm  
solidum.

Qui omisso com  
solvit, solutu

Pactum addicti  
empti venditi con

XIV.

Renuntiatio paternæ hæreditatis à petenda legitima non removet.

XV.

Exhæredatus non minuit liberorum numerum, quo ad augmentum legitimæ.

XVI.

Legitima statuto, lege, vel consuetudine & diminui & adimi potest.

XVII.

Hæres rem suam à defuncto venditam non vindicat obstante exceptione rei venditæ & traditæ.

XVIII.

Ad publicianam intentandam bona fides initialis sufficit utroque jure Canonico & civili.

XIX.

Subductâ fœminâ obligatur confidejussor masculus in solidum.

XX.

Qui omisso compensationis beneficio sciens indebitum solvit, solutum non repetit.

XXI.

Pactum additionis in diem uti & lex commissoria empti venditi contractum ipso jure resolvit.

## XXII.

Jus retractûs consanguinitatis cessibile non est.

## XXIII.

Venditor dando interesse à rei venditæ traditione non liberatur.

## XXIV.

Existencia sui Hæredis firmat substitutionem pupillarem.

## XXV.

Minor contra aditam hæreditatem restitutus facit locum substituto.

## XXVI.

Non potest filius perceptâ legitimâ reliquam omittere hæreditatem.

## XXVII.

Emptori hæreditatis pars cohæredis deficiens non accrescit.

## XXVIII.

Filius gravatus fidei commissio universali puro præter legitimam non detrahit quartam Trebellianicam.

## XXIX.

Impensæ studiorum à Patre factæ non conferuntur à filiis.

## XXX.

Substitutio pupillaris  
legitima, & à q

Juri pignoris lucrum  
ante antichretico.

Hæres omisso iure  
hereditatis in solidum

Tutela Electoris  
primæ.

Pacta confratrum  
sunt absque consensu

Clerici in feudis

Fœmina semel  
conjugata semper manet

Imperium Romanum  
monarchicum.

XXX.

Substitutio pupillaris etiam tacita excludit matrem à legitima, & à querela inofficiosi etiam jure novo.

XXXI.

Juri pignoris luendi nequit præscribi ab ipso creditore antichretico.

XXXII.

Hæres omisso inventario non sic tenetur ad legata solvenda in solidum ut ad debita hæreditaria.

XXXIII.

Tutela Electoralis testamentaria non præfertur legitimæ.

XXXIV.

Pacta confraternitatum inter Principes Imperii non tenent absque confirmatione Imperatoris.

XXXV.

Clerici in feudalibus non utuntur privilegio fori.


XXXVI.

Fœmina semel exclusa à feudo per existentiam masculi semper manet exclusa.

XXXVII.

Imperium Romano Germanicum simpliciter est monarchicum.

XXXVIII.



## XXXVIII.

Filius non potest feudum paternum separare ab allodialibus.

## XXXIX.

In successione feudali non attenditur duplicitas vinculi.

## XL.

Filius emancipatus succedit in feudalibus non item arrogatus, nec legitimatus per rescriptum Principis.

O. A. M. D. G.



ERTATIO IN

EM

ABBREV

LIT

CONSENSU

GNIFIC

CTORU

ILLVSTR

PRÆSIDE

VMNIS IN VT

RIVILEGI

TE AC LEGI

AD DIEM

ELLENIS

PA

PUBLICICE VEN

DEFRID

COLONIE

GISS

JOHAN. REI












© The Tiffen Company, 2007

# TIFFEN® Gray Scale

<b>A</b>	1		<b>R</b>	2		<b>G</b>	3		<b>B</b>	4		<b>M</b>	5		<b>K</b>	6		<b>G</b>	7		<b>K</b>	8		<b>C</b>	9		<b>Y</b>	10		<b>M</b>	11	12	13	14	15	16	17	18	19
----------	---	---	----------	---	---	----------	---	---	----------	---	---	----------	---	--	----------	---	---	----------	---	---	----------	---	---	----------	---	---	----------	----	---	----------	----	----	----	----	----	----	----	----	----



<b>Blue</b>	<b>Cyan</b>	<b>Green</b>	<b>Yellow</b>	<b>Red</b>	<b>Magenta</b>	<b>White</b>	<b>3/Color</b>	<b>Black</b>
								

Centimetres

Inches

**TIFFEN® Color Control Patches**

© The Tiffen Company, 2007